

FRANCISCI PATRICII
PANCOSMIAS
LIBER DUODECIMUS
DE CÆLORUM NUMERO.

Hæc sola equidem positio, stellas cælo esse fixas, Astronomos in innumera egit deliramenta: non solum in cælorum numero monstruoso, sed in monstruosiore eorum locatione. Et in mundanarum partium monstruosissima situatione. Sed a Theologis, prius nos expediamus, ut liberiore certamine, cum Astronomis queamus depugnare. Chrysostomus asserit unum fuisse in principio a Deo creatum cælum. Sicubi vero plurium in scriptura fiat mentio ut, cæli cælorum. Aquæ, quæ super cælos sunt, et his similia loca, locutionem esse Hebraicæ linguæ propriam, (etiam recensiores afferunt) quæ in hoc nomine, numero careat singulari. Unum ergo tantum, Chrysostomo est cælum. Iustino vero, et Theodoro duo, Basilio tres. Hæ sententiæ in id feruntur, ut testimonio sint, nullo in sacris literis loco, certum cælorum numerum esse proditum. Libere ergo cum Astronomis agamus. Quorum omne studium, omnisque labor, et iam olim fuit, et etiamnum est, cælestes apparentias, uti loqui solent, salvare. Apparentiæ autem omnes, primo a syderibus visui abiectis, secundo ab eorum motibus observantur. Sydera autem, plurima Astronomorum pars pro certo habuerunt esse cælo infixæ. Hac positione, plerique omnes nixi, Chimæras innumerabiles in cælo confinxerunt. Sed ad hanc rem commonstrandam, ordine a vetustissimis, ad novissimos progrediamur, summa capita recensentes. Chaldæi omnium qui memorantur primi syderum fuere spectatores. Eorum caput Zoroaster cecinit.

Πῆξε δὲ πολὺν ὄμιλον ἀστέρων ἀπλανῶν

Ζῶων δὲ πλανωμένων ὑφέστησεν ἐπτάδα.

Compegit multum cælum astrorum inerrantium.

Animaliumque errantium substituit septenarium.

Pater igitur hic sapientum, cum Planetas animalia vocet, liberum profecto, eis tribuit motum, nec ullis orbibus eos fixos facit. Hanc Zoroastri sententiam Plato et Aristoteles sunt secuti. Ille quidem quoniam astra tum inerrantia, tum errantia, animalia esse docet. Inquiens.

Εξ ἧς δὴ αἰτίας, γέγονεν ὅτι τα ἀπλανῆ τῶν ἀστρων, ζῶα θεῖα ὄντα καὶ διὰ ταῦτα ἐν ταυτῷ στρεφόμενα αἰεὶ δυνάμει. Τὰ δὲ τρεπόμενα, καὶ πλάνην τοιαύτην ἴσχοντα, κατ'ἐκεῖνα γέγονεν. Ex, qua sane causa facta sunt, quæcumque inerrantia sunt sydera, animalia divina sunt, et ob id in eodem revoluuntur semper potentia. Quæ vero versantur, et errorem talem habent, secundum ea sunt facta.

Liberum autem motum planetis antea dederat:

Κατὰ ταῦτα δὴ, καὶ τούτων ἔνεκα ἐγηγνήθη τῶν ἀστρων, ὅσα δι' οὐρανοῦ πορευόμενα ἔσχε τροπὰς.

Secundum hæc sane, et horum causa genita sunt syderum quæcumque per cælum incedentia habuerunt conversiones.

Quem motum incessus, reliquis etiam tribuit.

Επεὶ καὶ πάντες ὅσοι τε περιπολοῦσι φανερώς καὶ ὅσοι φαίνονται θεοὶ, καθ' ὅσον ἂν ἐθέλωσι γένεσιν ἔσχον.

Quandoquidem et omnes, quicumque circumeunt manifesto, et quicumque apparent Dii quantum volunt, generationem habuerunt.

Deos enim vocat, sicuti prius, animalia divina ipsa astra, et voluntatem eis tribuit et incessum in circuitum. Aristoteles quoque fere manifestius, stellis, et animam, et actionem, ut animalibus tribuit, quando scribit.

Διὸ δεῖ, νομίζειν, καὶ τὴν τῶν ἀστρων πρᾶξιν, εἶναι τοιαύτην, οἷα περ τῶν ζῶων, καὶ τῶν φυτῶν.